DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

7

DE

NEURALGIA.

AUCTORE, GULIELMO THOMSON.

Si contemplemur animantium fabricam, ex operibus naturae imis usque ad opus ejus maximè elaboratum; nihil omnino huc pertinens artem anatomicam et physiologicam excolentium acerrimum studium plus cievisse, quam genus nervosum, patebit. Seu naturam fabricae ejus peculiarem, vim ejus vitalem, vel actiones ejus morbosas, contemplamur, pariter propendemus indagare atque mirari. Obscuritas, qua cerebri pathologia adhuc implicatur, umbra impenetrabilis, quae mutationes ejus internas

[1817]

plerumque velat, necnon ductus imperfectus quem scientia accuratissima formae ejus, et relationum inter partes ejus minutissimas ad functionum ejus variarum notitiam nos praebet, omnia haec, aio, coalescunt ad admirationem nostram firmandam et desiderium augendum investigare atque opera ejus occulta detegere conandi. Quodcunque, igitur, ad hoc systema pertinet, partiumve quarumvis morbos enodare tendit, artem medicam discentis, non minus ac excolentis, attentionem sibi vindicat.

Morbus, cui nomen Neuralgia, de quo in paginis sequentibus disserere proposui, notis ejus externis non minus est insignis, quam cruciatibus extremis horrendus.

Medici antiqui parùm hoc genus valetudinis adversae illustrâsse videntur. Pujol[a]

---

[a] Memoire de la Société Royale de Medicine, Ann. 1782—3.

quidem Hippocrati, Coelio Aureliano, et Avicennae eam benè notam fuisse patefacere conatur. Si verò in operibus eorum locos quos citat investigemus, saltem in dubio et ancipiti necne descriptiones, quas ediderint, ad hunc morbum pertineant, inveniemus.

Auctoribus igitur antiquis praeteritis, notatu dignum est, Siobald Wurzburgii professorem opinioni propendere hunc fuisse morbum quo emortuus est, A. D. MDCLXV, Laurentius Bausch Societatis Naturae Curiosorum fundator, ac praeses, medicusque apud Schweinfurth in Franconia, cujus valetudo lucidè describitur in tomo primo ejusdem societatis actorum in dissertatione, auctore Joanne Hartmann Degener, natu Belgico, inscripta, "*De dolore quodam perraro acerboque maxillae sinistrae partes occupante, et per paroxysmos recurrente.*" A.D. MDCLXXIII Doctor Daniel Ludwig [b] eum observavit, at-

---

[b] Miscellanea Nat. Curios. Dec. I. Ann. III. Observ. 252.

que depinxit sub nomine "Dolor Superciliaris Acerbissimus." Ex eo tempore usque ad annum MDCCLVI, medicinae annales de eo silent, cum M. Andrée in opere, cui titulus, "Observations pratiques sur les maladies de l'Urethre et sur les plusieurs faits convulsifs," medicorum studium ad eum appulit. Anno MDCCLXXVI Doctor J. Fothergill [c] disputationem ejus eximiam edidit; ex quo tempore auctores plurimi, scilicet Samuelis Fothergill, Doctor Haighton, [e] aliique in Britannia; Pujol, [f] Thouret, [g] Andrée, [h] Sabatier [i] in Gallia; et Selle, [k]

---

[c] Medical Observations and Enquiries, Vol. V.

[d] Concise and Systematic Account, &c.

[e] Medical Records and Researches.

[f] Essai sur la maladie de la Face.

[g] Memoire de la Societé Royale de Medicine. Ann. 1782—3.

[h] Opus jam citat. Ann. 1776—9. 1782—3.

[i] Anatomie. Tom. III.

[k] Neue Beitrage, &c. Tom. I.

Lentin,[l] Volger,[m] Boehmer,[n] Thilenius,[o] aliique in Germania, observationes multas et facta de eo protulerunt.

Alia apud alios accepit nomina; quaedam sede, alia signis, alia ab rebus minoris momenti deducta. Degener et Ludwig pro nomine definitione usi sunt; et J. Fothergill appellavit "a painful affection of the face." Andrée nuncupavit eum "Tic douloureux," nomen quod olim auctoribus fere adoptatum est. Sed huic variis de causis objici potest, ut observat Siobald,[p] "The vehement con-"tractions do not occur in every patient,

---

[l] Blumenbach Medicinische Bibliotheck. et Hufeland's Practical Journal.

[m] Blumenbach Medicinische Bibliotheck. Tom. II.

[n] Opus jam citat. Tom. III.

[o] Medicinische und Chirurgische Bemerkungen.

[p] Doloris faciei, morbi rarioris atque atrocis Observationibus illustrati, adumbratio. Diatribe I. 1795. II. 1797. Wirceb.

"and may moreover be considered rather "as *conamina naturae medicatricis*, and efforts by which the patients endeavour to "relieve themselves from the pain, for which "purpose they likewise rub the part with "vehemence." Sauvage,[q] in ejus Nosologia, eum nominavit "Trismus dolorificus," nomen quod omninò est abjiciendum, ne cum illa varietate Tetani, quae vocatur Trismus, confundatur; cui penitus dissimilis est. Nominatus etiam Trismus arthriticus[r]; Podagra dentium Strobelbergeri,[r] necnon Rheumatismus cancerosus.[s] Forstmann,[t] qui nominum horum vitia benè perspexit, eo nomine "Dolor Faciei Fothergillianus" contentus fuit; saltem donec melius proponatur. Nuper

---

[q] Nosologia Methodica Class IV. Ord. I. Gen. II. Spec. xiv. Tom. I.

[r] Vide Sauvage.

[s] Handbuch sur angehende. Aerzte Tom. II.

[t] Dissert. Inaug. Med. de Dolore Faciei Fothergilli. Duisburgi.

Prosopalgia nomen propositum est, quod tamen eo vitiosum est, quod morbum non prorsùs comprehendit; quippe qui partes corporis alias praeter faciem aggreditur. Denique, ut paucis absolvam, nomen Neuralgia optimum esse videtur; quia signa morbi praecipua distinctè praedicat, nec iis legibus, unde rerum nomina constitui soleant, dissentaneum est.

DE MORBI SEDE.

Neuralgia varias invadit corporis partes. Saepissimè tamen in facie invenitur; praecipuéque in malae parte anteriore et superiore, et naris latere, cum ramus secundus nervorum quinti paris morbo afficitur. Nonnunquam frontem, tempora ex alterutro latere, angulum interiorem, imò globum ipsum oculi aggredi observatur, ramo ophthalmico nervi trigemini morbo laborante: si oculi

multùm illachrymant, ramulum nervi ophthalmici per glandulam lachrymalem distributum affici verisimile est. Interdum ramo tertio nervi trigemini, qui in maxillam inferiorem et linguam dispergitur, sedem habere cognita est: et in portione durâ nervi audiendo dicati minimè est rara. Haighton reverà affirmavit morbum frequentiùs evenire in hac quàm in alia faciei parte. Haec, autem, opinio aliorum experientiae minimè est consentanea. Nonnunquam, praesertim si inveteravit morbus, ad frontem, malam, capitis latus, et maxillam inferiorem spargitur; nervis scilicet jam memoratis liberrimè inter sese consociatis. Saepius unum faciei latus tantùm cruciatur; rarissima tamen sunt exempla ubi genam primo affectam reliquit, alteramque aggressus est: [u] aliaque non minus rara sunt exempla, ubi utrumque faciei latus simul

---

[u] Pujol.

invasit.[v] Inter rara exempla Lentin[w] se in linguae margine, et per totum caput et faciem dispersum, eum vidisse memorat, necnon in uno pede. Dominis Abernethy[x] quoque in ejus " Surgical Works" exemplum memorat ubi foemina morbo in manu sinistra sito laboravit; nec desunt alia complura.

DE SIGNIS.

Ineunte hoc morbo plerumque dolor non valdè acutus in cute partis affectae primò sentitur, qui mox adaugetur, et morbo progrediente, per nervi cursum serpit. Observat Haighton, " An intelligent patient will fre- " quently describe the dartings of pain so " minutely, as to teach the practitioner the

[v] Pujol.

[w] Hufeland's Practical Journal, Tom. IX.

[x] Vol. II.

" distribution of the several branches of the " fifth pair, if he had not known it before." Principio dolor mitis est, in progressu tamen adeo violens fit, ut vix tolerari possit. " Des " qu'on considere," inquit Pujol, " une per- " sonne qui ressent actuellement une attaque " un peu vive du Tic Douloureux a la joue, " on la voit tenir les sourcils froncés, les " deux paupières fortement comprimées, et " la commissure des lévres retirée vers l'o- " reille comme dans le Ris Sardonique. La " machoire inferieure demeure immobile, et " dans la meme situation ou elle s'est trou- " vée dans le moment de l'invasion : sa re- " spiration est lente, et comme suspendue ; " souvent elle n'ose faire le moindre cri, ni " proferer une seule parole. Elle semble " meme redoubter le plus leger mouvement " du tronc : ses attitudes forcées et son etat " presque extatique, expriment mieux que " tous les discours, la force de ces douleurs. " Aussi des qu'elle est libre, elle ne manque

" guère de se plaindre du ton le plus lugu-
" bre, et avec les termes les plus energiques.
" En general ces sortes de malades sont si
" fort occupés de leur mal, qu'ils deviennent
" bientot insensibles aux douceurs de la so-
" ciété, et incapable de s'occuper serieuse-
" ment de tout autre objet que d'eux-
" memes." Dolor minimè est constans, sed accessiones habet, quae pauca tantùm momenta fere perstant, et temporibus incertis redeunt; et quo recentior sit morbus, eo fere longiora sunt intervalla. Dolorem in osse ipso sedem habere saepe se suadet aeger, qui illi doloris generi eum saepe comparat, quod filum ferri candens parti vi impulsum facesseretur. Accessiones interdiu fere sunt frequentiores et acutiores quam noctu. " Die nocteque," inquit Forstmann,
" die tamen saepius ac nocte tam crudelis
" paroxysmus aegro imminet." In quibusdam quidem exemplis per noctem dolore prorsus immunis est aeger. Aestate quoque

morbus ferè mitior est quam hyeme; quod tamen lege certa caret. M. Thouret[y] enim exemplum memorat ubi hyeme adveniente decessit dolor, aestate vero accedente iterùm rediit. Nota propria hujus morbi est dolorem, (pro tempore saltem,) multum minui, si non penitus tollitur, nervum affectum comprimendo. Interdum musculi faciei motu quodam abnormi inter accessionem quasi tremunt: nonnunquam os foedatur modo angorem mirabiliter denotante quem patitur aeger.[z] Quamvis accessiones derepente et ex improviso ferè aggrediuntur, in quibusdam tamen exemplis, ut fertur, rubor et partis calor adventum ejus aegro designant.[a] Accessionibus motu musculorum mitissimo

---

[y] Memoire de la Société Royale de Medicine. Ann. 1782—3.

[z] Baldinger's Med. Journal, Vol. II.

[a] Boehmer in Blumenbach Med. Biblioth. Tom. III.
Lentin, - - Tom. II.
Rahn Museum der Heilkunde.

plerumque inductis, aeger loquendi consuetudinem sine labii affecti motu saepe nanciscitur; vel si maxillarum nervi ambarum afficiuntur, aeger cùm loquitur labia ejus vel prorsus non movet, vel quàm minimè. Aliquando lachrymarum et pituitae narium per accessionem copia augetur, aliquando minuitur: nonnunquam etiam quoddam Ptyalisma[b] accidisse refertur.

Habitus et vires corporis vix ac ne vix quidem fere afficiuntur; cum vero paroxysmi frequentissimi sunt, violentissimique, irritatione assidua quam movent, somnique defectu, cordis arteriarumque actio augetur, corpus marcescit[c] et frangitur, necnon aliquando intumescit abdomen, intestina torpent, et superveniunt signa Dyspepsiae.[d]

---

[b] Siobald.

[c] Boehmer. Blum. Bibl. Tom. III.

[d] Siobald.

Nonne hi quidem effectus ab intimo qui existit nexu quintum nervorum parem inter et nervum sympatheticum magnum explicari possunt? Ab auctoribus quoque proditum est maniam et melancholiam [e] hunc morbum consecutas esse. Notatu dignum est hunc morbum inter graviditatem [f] vel ad accessionem febris [g] coërcitum esse; post puerperium vero vel aegro revalescente iterum rediisse.

Fothergill aliique medici Britannici foeminas multo frequentiùs quam viros hoc morbo laborare opinionem tradiderunt; scriptoribus vero terrae continentis, quibus plus experientiae in hunc morbum fuisse videtur, opinio penitùs adversa recepta fuit. *

---

[e] Boehmer, Lentin, &c. locis jam citatis.

[f] Siobald.

[g] Sauter et Selle.

* In Britannia foeminae praecipuè affici videntur, ratione unius ad quatuordecim; in Germania mares, ratione viginti et unius ad tredecim. SIOBALD.

DE CAUSIS.

Causae nullius morbi caligine atriore obvolvuntur, quam Neuralgiae; nec mirum videbitur si animo perpendamus quàm paululum de fabrica nervorum intima, de modo quo functiones suas exercent, et de mutationibus, quas in morbo subeunt, adhuc intelligimus.

> "Felix qui causas alta caligine mersas
> "Pandit, et evolvit tenuissima vincula rerum."
>
> ANON. DARWIN'S ZOON.

Inter causas praedisponentes, quae auctoribus enumeratae sunt, aetas provecta usu optimè stabiliri videtur. Inter auctores plerosque vix infra annos quadraginta natis, accidisse consensum est: Haighton autem viro circa annos triginta nato morbum se vidisse

observat; et Leidenfrost aliique [h] aegros multo adhuc juniores se incidisse narrant. Quibusdam, hunc morbum debilitatis cum statu nexum aliquem habere, putatum est: sed, praesertim cùm, ut jam observatum est, viris robustis quoties foeminis accidit, experientiâ haec opinio comprobari non videtur.

Volger, credo, ex abdominis tumore, Dyspepsia, &c. quae nonnunquam adsunt, viscerum chylopoëticorum vitium ad morbum hunc proclivitatem praebuisse, primus omnium suspicatus est. Alii auctores Gallici, sicuti Thouret, Gerard, &c. hanc opinionem consecuti sunt, seriusque clarus Abernethy [i] eam observationibus quibusdam confirmavit. "In the cases" (inquit,) "of Tic Doulou-"reux which have fallen under my observa-

---

[h] Pearson, in Edinburgh Medical and Surgical Journal. Forstmann, Gunther, &c.

[i] Surgical Observations, part 2. 1806.

"tion, there has been great disorder of the
"digestive organs; and I have known cases
"resembling Tic Douloureux cured by cor-
"recting the unhealthy state of these or-
"gans." Ex observatione jam citata Neuralgiam conditione viscerum morbosa nonnunquam sociari satis clarè videtur: an verò vitium hoc, causa sit, an morbi effectus, meritò disputari potest: saepius tamen e causis minus cognitis pendere veri est simile, quoniam organa haec malè se habere saepe non videntur, nec remediis purgantibus concedit morbus.

Odontalgia in juventute prima, sanguis in vasis congestus, cutis nimis tenera, contusiones,[k] cicatrices,[l] corpus ad morbum hunc proclive reddere memorata sunt; rectè an

---

[k] Andrée, l. c.

[l] Lentin, l. c.

secus, quia iis hic morbus adeò raró subsequitur, jure dubitatur.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Harum quidem frigus, parti corporis cuivis, praesertim veró faciei admotum, id est aër frigidus et humidus, longè frequentissima esse videtur. Majore vi pollet si flatus aëris frigidi, maximéque si humiditate saturetur, in genam impellatur. Ictus * capiti illati, necnon motus animi varii, sicuti ira, moeror, gaudium, morbum hunc excitâsse quibusdam visi sunt.

Morbo jam ingravescente, vel levissima quidem res accessionem inducere solet: ae-

* Uno exemplo ictu exoriri visa est, quem accepit homo arboris adverso trunco caput ejus impingendo. SIOBALD.

ger liberè manducare, tussire, expuere, nares emungere non potest, quin dolores atroces, et spasmos musculorum faciei patiatur: levissimus faciei attactus vel panno mollissimo hos faciei dolores redintegrare solet. Frictio barbae contra cursum capillorum naturalem, atque rhedae subsultus pari ratione paroxysmum inducere valent,[m] plurimique aegri sese radendi opus summo cum terrore contemplantur.

DE NATURA MORBI.

Medici de natura Neuralgiae multas et haud parum inter sese repugnantes sententias protulerunt. Ut harum praecipuas hoc loco quam brevissima oratione recenseam, si modò quantulùm de ea notitiae adhuc obti-

---

[m] Fox's History and Treatment of the Diseases of the Teeth and Gums.

nuimus ostendere inserviant, haud mihi alienum videtur.

Imprimis Fothergill noster eximius acrimoniae cancrosae eam tribuit. "It seems "not improbable but that a sharp, corrosive, "cancerous acrimony may long be pervad-"ing, like electrical matter, certain series of "vessels, and when collected in a certain "quantity, may create these pains; yet "without seizing upon any part with such "violence as to destroy its functions.[n]" Opinionem hanc formavit e rerum contemplatione sequentium: 1*mo*, Plerosque aegrorum quos vidit hoc morbo laborantes foeminas esse, hasque illud vitae tempus quo menstruae desinunt, et ad cancrum magis proclives fieri enotescunt, consecutas esse. 2*do*, In mammis duarum tumorem parvum durum, scirrhoque similem, percepisse. 3*tio*, Multis

---

[n] Medical Observations and Enquiries, Vol. V.

in exemplis morbum Conii Maculati usui cessisse. Ad opinionem hanc refellendam argumentis hisce valentibus usus est Doctor Haighton:[o] 1*mo*, Cancer aspectu externo quodam sese ostendit, sicut, induratione ulcere, &c.; partium verò fabrica hoc morbo nunquam labefactatur, utcunque fuerit diuturnus. 2*do*, Cancer initio ejus rarissimè doloris multum concitat, dum Neuralgia fere jam iniens dolorem acutissimum exhibet. 3*tio*, In cancro dolor nunquam penitùs cessat; verùm in hoc morbo intercapedines, quamvis in diuturnitate incertae, bene notantur. 4*to*, Cancer simplici etiam partis incisione semper ingravescit; dum eadem ritè secta morbus hic saepe sanatus est: quibus addi potest, Conium Maculatum aliorum experientia medicorum ad morbum alium atque alium sanandum pariter inanem inventum fuisse.

---

[o] Medical Records and Researches.

Aliis ad humores varios corpus pervadentes relata est; scilicet ad Rheumaticum,[p] Arthriticum,[q] Strumosum,[r] Syphiliticum,[s] Catarrhalem;[t] aliis ad eruptiones repressas,[u] vel ad vitium quodvis medullae oblongatae[v] vel Ganglii Gasserii,[w] vel evacuationum suppressionem solitarum,[x] vel ad Gonorrhoeam non ritè sanatam.[y] Sed ad has opiniones seriò refellendas, etiam si tentaminis hujus limites me permitterent, penitus foret supervacaneum.

---

[p] Siobald.

[q] Siobald, Leidenfrost, Ludwig, Degener, Boehmer, Lavagan.

[r] Menouret, et Selle.

[s] Waton.

[t] Pujol, Volger.

[u] Andrée, Bonnard, Lavagan.

[v] Lentin.

[w] Siobald.

[x] Lentin.

[y] Thilenius.

Andrée, Sauvage aliique affectui convulsivae eum tribuere voluerunt, et Pujol, dum opinionem hanc spernat, in errorem similem incidit ipse: σπασμῳ φυσωδη enim, qui convulsioni haud multùm dissimilis est, fluidi electrici in nervis accumulatione excitato tribuit. Sententiam ejus non meliùs explicare possum, quàm verbis Domini Thouret. "Mais M. Pujol a cru devoir lui donner un "plus grand developpement. Suivant lui, "on ne peut révoquer en doute la presence "du fluide electrique dans les nerfs. Il "pense avec quelques physiciens, que le "cerveau peut etre comparé a une machine "qui, fortement electrisée par les frottemens "continuels de la circulation, developpe la "matiere de l'electricité et la distribue par "les nerfs dans toutes les parties. L' exces "de ce principe occasione les spasmes, les "convulsions, les douleurs; son defaut

"absolu conduit a la paralysie.[z]" Ut paucis igitur absolvam, opiniones has omnes rejicere probè permittamur. Forsitan natura ejus vera, notitiae conditione presenti nostrae pathologicae perspecta, deprehendi vix potest, praesertim cùm cadaverum sectio huic rei tantulum lucis adhuc protulit: mihi tamen verisimile videtur, morbum ex fabrica quadam vitiosa oriri, quae forsan ob compagem nervi subtilissimam sensibus nostris non patet. Haecque opinio aliquo modo stabiliri videtur Neuralgiae multis exemplis[a] nervorum in partibus corporis diversis vulnera consequentibus.

---

[z] Memoire de la Société Royale de Medicine, Ann. 1782—3.

[a] Medico-Chirurgical Transactions, Vol. IV. C. Bell's Operative Surgery, Vol. II. Philosophical Transactions, 1801. Siobald, vide supra.

Scriptor [b] recens hunc morbum uti ejus sedem principem ad cerebrum refert, exemplaque ad opinionem ejus sustinendam proposuit, quibus capitis dolor, vertigo, plus minusve perturbationis sensuum externorum vel internorum, unà cum congestionis signis vel incitationis vasorum cerebri, accessionem morbi antecesserunt, ventriculo et jecinore nonnunquam consensu affectis. Opinionem hanc confirmari concipit ex eventu felici exemplorum quinque sexve ratione curandi planè Antiphlogistica, nempe, missione sanguinis libera, et alvi purgantibus. Cum morbus inveteravit, hanc curationem minùs felicem futuram existimat, quia actio cerebri vasorum primo perturbata, jam fortasse fabricae vitium, quale amoveri non potest, creavit.

---

[b] Armstrong's Illustrations of Typhus and other Diseases. 1816.

DE DIAGNOSI.

Neuralgia notis adeò distinctis notatur, ut de ea hallucinari difficile videatur. Nihilominus confusa est Clavo Hysterico, Antri Highmoriani morbo, Rheumatismo, Doloribus Syphiliticis, Odontalgia, et Hemicrania.

Clavus Hystericus rebus sequentibus a Neuralgia discerni potest: plerumque in parte capitis capillata vix in facie, Neuralgiae sede, percipiendus est; Clavi Hysterici accessiones plerumque praegreditur sensus frigoris, quae minùs repentè aggrediuntur, minùs violentes, magis verò diuturnae sunt.

E morbo Antri Maxillaris facilè dignosci potest: illi dolor magis obtusus, et constantior, et profundior aegro sentitur; pure formato tumet gena, et aegro in latus laboranti

adversum decumbente, pus e naribus profluit.

E Rheumatismo distinguitur doloris intentione, qui accessionibus invadit et levissima excitatur irritatione: in Rheumatismo Acuto quoque partis affectae quidam est rubor et calor et tumor, nec dolor nervos sequitur: Rheumatismo Chronico dolores contingunt magis obtusi et diuturni, noctuque ingravescunt: in Neuralgia omnino aliter res se habet.

In res praecedentes indagando a Doloribus Syphiliticis optimè dignoscetur.

Morbus est nullus, cum quo saepius confusa est quam Odontalgia, e qua facilè dignoscatur doloris sede, accessionum brevitate et severitate, impetusque frequentia, aegro ex intervallo a dolore libero existente, musculorum quoque faciei motibus abnormibus,

quae in Odontalgia semper absunt, et aetate aegri, Odontalgia juniores, Neuralgia aetate provectos plerumque aggrediente.

Ab Hemicrania discernenda est tempore accessionis incerta, ejusque brevitate et doloris vehementia, qui nervi affecti ramulos permeat.

DE PROGNOSI.

Prognosis, quod ad vitam pertinet, plerumque felix est habenda: exempla tamen non desunt, quibus aegri continuo dolore, vigilia, cibique egestate (quem sumere nonnunquam, malo provecto, vix * se suadere possunt, ne

---

* Hic status adeò lucidè Doctore S. Fothergill depictus est, ut sententiam quin citem animo imperare nequeam. "When the pain has continued with frequent "accessions for a length of time, a most distressing "scene is sometimes witnessed. The patient, whose

accessionem recidivam inferat) exhausti morti occubuerunt, vel desperati manus truculentas sibi ipsis intulerunt. Si verò ad morbi sanationem spectemus, summa cum circumspectione exitus felicis spei nobis indulgere licet; quamvis enim medicamina nonnulla, ut inveniemus, uniuscujuspiam laudes medici ad morbum tollendum potita sunt, nulla tamen experientiae trutinam adhuc sustinuerunt; et nervorum sectio, quamvis plurimis in exemplis felicissimo cum eventu confecta est, tamen quia portionem duram paris sep-

---

"health at the time is generally good, after desisting "from eating and drinking, till the keenness of his appetite, and the intensity of his thirst are too irresistibly urgent to be longer unrelieved, attacks whatever food is laid before him with maniac fury and "hurried precipitancy, his countenance suffused with "crimson, and convulsed and contorted with pain. "This horrid conflict does not last long; he soon throws "down his knife and fork with desperate violence, obliged to solicit a cessation of pain by a state of inaction." Concise and Systematic Account, &c.

timi ob situm ejus profundum secare difficillimum est, et quandoque nervi, postquam divisi, redintegrati sunt, et morbus rediit, hisce perspectis, hoc remedium pro certo, stabili, et universo vix haberi potest. Paucis in exemplis morbus sponte decessisse fertur, aliisque Mania et Melancholia [c] eum consecutae esse dicuntur; et nonnunquam Podagra,[d] cutisque eruptio, vel Puerperium [e] paroxysmi accessionem praecaverunt.

DE RATIONE CURANDI.

Multa sunt remedia, quae vel ad hunc morbum sanandum vel levandum usurpata sunt, singula plerumque variis in exemplis diverso cum eventu. Conium Maculatum

---

[c] Siobald, l. c.

[d] Boehmer, l. c.

[e] Boehmer, l. c.

imprimis a Doctore Fothergill multum commendatum fuit, qui nonnullis in exemplis amplissimè per annum integrum adhibitum felicissimo cum eventu vidisse memorat. Laudibus ejus allecti plurimi medici alii eo usi sunt, minimè tamen eodem fructu. Dominus Ring [f] autem exempla aegrorum nonnulla refert, qui ampla Conii administratione sanari visi sunt postquam remedia plurima alia spem fefellerint.

Opium secundum auctores plurimos non solùm dolorem moderatur, sed aliquando aufert: aliis verò neque dolorem mitigare neque somnum conciliare observatum est: praeterea, si dosibus satis amplis, ut exitum sortiamur optatum, id ministremus, sitim, febrem, capitis dolorem, alvum tardam inducere solet, necnon demum forsan fatuitatem aliosve corporis status morbo ipso adhuc

[f] Medical and Physical Journal, Vol. XVIII.

graviores. Aliud Opii incommodum, est ut si copiam ejus certum extra gradum augeamus, non solùm corporis irritabilitas non ampliùs minuitur, sed ex ejus usu planè ingravescit.

Exemplum [g] Doctore Duncan narratur quo remedium, cui titulus "Black Drop," morbum sanasse visum est, postquam Opii usui cedere negaverat. An nobis non liceat judicare experientiam adeò felicem repertam ad Tetanum curandum, in curanda Neuralgia pariter utilem futuram, quae procul dubio quantùm, si non ampliùs, ex conditione nervorum morbida pendet? Primùm usurpata fuit Domino Stutz medico in Suabia eximio, qui ad indagationem hanc ex facti simplicis contemplatione adductus fuit. Humboldt, opere suo "De Nervorum Irritabilitate," memoraverat fibram nervosam per alternas vices

---

[g] Dublin Medical and Physical Essays, Vol. II.

Opio et Potassae Carbonate agendo, quinquies sexiesve a gradu irritabilitatis maximo usque ad astheniae perfectae statum alternare effecisse. Ratio Domini Stutz, quae felicissimo exitu in Valetudinariis Germanicis usurpata est, ex Opio et Potassae Carbonate vicissim datis constitit. Observatum est, postquam Opii grana triginta et sex horarum viginti et quatuor spatio vorata fuerant sine effectu, Opii grana decem post solutionis Potassae Carbonatis administrationem praecepta, aegro multum opitulata esse. [h]

Externè admotum alii dolorem mitigare vel fugare, alii irritum esse observavere. Sub Emplastri forma vel linimenti applicetur, vel Tincturae, linteolo ea madefacto partique admoto.

---

[h] Medical and Physical Journal, Vol. XVIII.

Hyoscyamus niger virtute simili praeditus, ac incommodis, quae Opii usum fere comitantur, nonnullis carens, ejus vice fortasse persaepe utiliter perfungi potest.

Atropa Belladonna quoque et felicissimo[i] et infausto[k] eventu usurpata est. Dominus Brooks praelectionibus suis publicis exempli rari mentionem facit, quod hic subjicere liceat: aeger ad eum advenit Neuralgiâ affectus, parte colli superiore, et ad pollices fere duos per nervi lingualis cursum sese extendente: dolor semper mitigatus fuit partem premendo. Extracti Belladonnae granum unum ter in die sumendum, et unguentum ex Plumbi Superacetatis granis decem unà cum adipis suillae pauxillo compositum in partem infricandum, ministrata sunt. Duos post dies aeger rediit,

---

[i] Medical and Physical Journal, Vol. XXXII.

[k] Darwin's Zoonomia, Vol. III.

eique significavit morbum, postquam medicamentis suprà dictis usus est, partem colli superiorem prorsus deseruisse, ramumque nervi maxillaris inferioris invasisse, qui canalem osseum percurrit, dolore extra foramen mentale non pertinente.

Plurima Antispasmodicorum, nempe Castoreum, Aether, Oxidum Zinci, Moschus, Camphora, Assafoetida, ad morbum hunc obstandum usurpata sunt, plerumque vero etiam sine fructus similitudine.

Arsenicum quoque est remedium quod nuper laudes accepit multas, et certè exempla[l] narrantur, quibus post usum ejus morbus sublatus est: alia[m] verò neque minus fide digna memorantur, quibus morbus ejus administrationi acerrimae prorsus restitit.

---

[l] Edinburgh Medical and Surgical Journal, Vol. VII.
[m] Medical and Physical Journal, Vol. XXVII.

Exempla quoque enarrantur, praecipuè Domino Waton[n] et Doctore Pearson,[o] quibus Hydrargyrus hunc morbum abstulit; contra verò saepe hoc remedium frustrà datum est. Optima eo utendi ratio est leniter salivam excitare, tam externa quam interna ejus administratione, eamque aliquamdiu sustentare. Doct. Samuel Fothergill[p] Aquae Ammoniae usui exempla morbi duo citò cessisse meminit, remediorum aliorum post usum inanem.

Si morbus actione organorum chylopoëticorum depravata originem suam habere videtur, purgantia ita exhiberi debent ut actionem organorum horum novam moveant.

Victus lautus sed frigidus, aër purus, et exercitatio rure modica sub divo, morbi hujus sanationem adjuvare possunt.

---

[n] Journal de Medicine, 1793.
[o] Edinburgh Medical and Surgical Journal, Vol. III.
[p] Medical and Physical Journal, Vol. XVII.

Remedia quoque haud pauca parti ipsi admota fuerunt, effectu tamen pariter incerto ac illa quae in totum corpus agunt: nempe, Astringentia applicata ad cutem corrugandam, et sic eam causis excitantibus affici minùs aptam reddendam. Frigus, ut glacies in sacculo parti admota, dolorem levasse vel fugasse dictum est: necnon aquae calidae vapor, vel fomenta calida pro remediis moderantibus, habita sunt. Saccus Sodae Muriatis parvus in ore retentus dolorem mitigare observatus est. Memoratur Domino Colville,[q] genam pice liquida oblinendo morbum hunc sanatum esse. Epispastica remedia, Setacea vel Fontes, sanguinis detractio hirudinibus, &c. a quibusdam laudata sunt, sed plerumque inutilia reperiuntur. Doctor Armstrong verò, ut suprà memoratum est, sanguinis detractione libera, et purgantibus, nonnunquam

---

[q] Edinburgh Medical and Surgical Journal, Vol. X.

etiam Emplastris Meloës Vesicatorii, in exemplis recentibus eventu faustissimo usus est.

Electricitas, quam praecipuè commendavit Pujol, quamvis fortasse quandoque utilis reperta, plerumque dolorem adauget: aura, si ea utamur, plerumque scintillis est anteferenda.

Galvanismus, quantum scio, in hoc morbo nondum tentatus fuit: ob nexum autem eum inter et Electricitatem, hunc magis efficacem repertum iri non est verisimile.

Magnetismus olim in Gallia, praecipuè a Domino Andrée et Thouret, pro remedio quasi specifico habebatur; qui exempla, ubi prodesse videretur, nonnulla protulerunt. Haec autem exempla inter animum et corpus nexum intimum solùm indicare inserviunt, et quanta potestate corporis morbos animi status varii regunt. Nonne successus re-

mediorum multorum occasionalis suprà memoratorum principio eidem est tribuendus? Nec desunt ad hanc rem confirmandam exempla similia, Magnetismo haud notato, quibus conditione animi certa dolor hic evictus est: duo ut citem satis erit.

Doctor S. Fothergill[r] exemplum refert ex auctoritate Doctoris Cappe Eboraci, quo si aeger quamvis tunc dolore acutissimo laboraret, consilio constanti ludo (Anglicè "Whist" dicto) operam dare sederet, quo plurimum gavisus est, antequam ludum unicum (Anglicè "Rubber" vocatum) terminaverat, dolor fere desinere, nec, dum animus suus ludo penitus implicitus fuit, accessio alia invadere solebat. Exemplum[s] quoque Doctore Lentin traditur haud absimile, faeminae hoc morbo laborantis, quae marito mortuo, quem ca-

---

[r] Medical and Physical Journal, Vol. XIII.
[s] Opus jam citat. Vol. III.

rissimè dilexit, plurimùm affligebatur, et dum maeroris sui impetus permansit, dolore libera fuit; maerore verò imminuto, dolor gradatim vehementior rediit. Dum mens sua quoque colloquio vivido occuparetur, breve sensit levamen; postea verò dolor vi redintegrata recidit, majore pro rata parte levamine quod experta erat.

DE NERVI SECTIONE.

Hisce omnibus frustra tentatis, ad nervum scalpello dividendum vel exulceratione delendum confugiendum est. Posterior praecipuè in Gallia tentata est; sed incommoda est, quia cicatricem relinquit, osque maximè foedat. Post nervi sectionem aeger praesens levamen ferè sentit: quibusdam verò in exemplis dolor tantùm sensim quiescit, quod pendere potest a sensu morbido non mitigato, nervo diviso, id quod post artuum ampu-

tationem evenire saepe videtur. Hoc verò remedium interdum inutile esse non est celandum; quod nisi nexibus plurimis qui existunt inter ramos quintae paris nervorum varios, et inter eos ramulosque paris septimi, vix tribui potest; aliquatenus quoque a conjunctione ramorum paris quintae trium in sinu cavernoso, Ganglion semilunare vel Gasseriane confingentium, explicari potest. Exemplis illis quibus nervi sectio aegro solamen praebuit, hoc rarò diù permanere observatum est: post lapsum enim temporis longiorem brevioremve morbus iterum rediit, quod tantum est referendum nervi terminorum ad conjunctionem divisorum vel proxime, vel per interstitium ad materiem aliquam nervosam renatam: instaurationem hanc evenire, quamvis Physiologis quibusdam celeberrimis diu negatum, Domini Cruikshank,[t] Docto-

[t] Philosophical Transactions, A. D. 1795.

ris Haighton,[u] Professoris Meyer[v] experimentis clarissimè demonstratum est. Quamvis autem nervum instaurari,* sive post divisionem simplicem sive post partis excisionem, experimentis hisce inferre licet, functionesque sibi proprias denuo assumere, exempla tamen supersunt, quibus post operationem hanc morbus penitus sanatus est: ideoque nervus exemplis hisce functiones ejus naturales sibi recepit, actiones morbosas perdidit. Quomodocunque phaenomena haec diversa explicari possunt, res ipsa tamen satis experientia comprobatur.

---

[u] Transactions of Medical Society. London, 1798.

[v] Essai sur la Regeneration des Nerfs.

* Notatu vero dignum est, celeberrimum Abernethy opinionem proferre morbi reditum quibusdam in exemplis ramorum amplificatione communicantium maximè pendere: tali autem opinioni facta, quae adhuc nobis sunt, minimè favent.

Abernethy's Works, Vol. II.

Quamvis autem, ut vidimus, operatio haec saepe non nisi paulisper levamen praebet, pro remedio aestimabili nihilominus est habenda: nervus enim iterum iterumque dirimi potest, si morbus redeat, quoties necesse erit; operationis ipsius dolore et periculo prae morbi angoribus nihili aestimandis. Operatio ipsa plerumque satis simplex est; constat enim non nisi divisione nervi perfecta, potiusve parte ejus quadam excisa. Quodammodo verò variat prout morbi sedes est diversa. Si nervus infra-orbitarius morbo vexetur, ob distributionem radiatam quam sequitur statim post exitum ejus e canali osseo, incisio quam proximè foramini debet agi. Situm igitur foraminis hujus exactum cognoscere, quia in craniis diversis variat, momenti magna est. Ad hanc rem investigandam Doctor Haighton attentionem multam praebuit. In craniis sexdecim e triginta distantiam partis ejus superioris e margine orbitae inferiore partem pollicis quartam esse

invenit, quam pro media habuit; concedensque partem pollicis octavam ad foraminis latitudinem, et octavam infra ejus partem inferiorem, dimidium pollicis a margine inferiore orbitae pro situ operationis est habendum. "Having endeavoured," addit, "to establish a rule for determining its "distance from the orbit, it may be proper "to ascertain its situation with respect to a "line drawn from the inferior part of the "internal angular process of the os frontis, "obliquely across the orbit, to the centre of "the os malae. The measurement of this "line, in thirty skulls, did not vary more "than *one-eighth* of an inch; and it was found "that a line drawn downward perpendicular "to this oblique line, at the distance of "*seven-eighths* of an inch from the internal "angle of the eye, passed across the orifice "of the suborbitar foramen."[w]

---

[w] Medical Records and Researches.

Nervo frontali affecto, incisio in foramen vel incisuram supraorbitarium, cui sedes est circiter trientes duos ab angulo externo arcus superciliaris, quod plerumque per integumenta facilè sentiri potest, est agenda.

Si nervus maxillaris inferior sedes sit morbi, ratio optima foramen mentale inveniendi est a spatio inter dentes bicuspidatos perpendiculum demittere, quod supra foramen transibit, ubi operatio perficienda est.

Portionis durae septimi paris truncum, ob situs ejus profunditatem, et partium momentum circumdantium, operatione attingi non posse fere habitum est. Dominus Burns autem opere [x] suo praeceptiones quasdam utiles, quomodo peragi queat, nobis protulit; et Chirurgus Brodie valetudinarii Sancti Georgii reipsa perfecit. Incisio e radice proces-

---

[x] Surgical Anatomy of the Head and Neck.

sus mastoidei ipsa incipi, et per marginem anteriorem musculi sterno - mastoidei prorsum et deorsum extendi debet. In dissectione hac investiganda nervum superficialem colli, et arteriam auris posteriorem, necnon glandulae parotideae partem aliquam, discindi opus est: denique portio nervi, scilicet quarta, vel si fieri potest, dimidia pars pollicis, excindenda est. Ramuli quidam nervi hujus ante glandulam parotideam in gena cursum suum habentes saepe a chirurgis divisi sunt, nonnunquam quidem feliciter, saepius verò brevissimo si ullo cum levamine, quod ab eorum distributione et nexu expectari posset; ideoque operatio haec, ut mihi videtur, vix ac ne vix quidem est permittenda.

Quod ad modum operandi pertinet, incisio, quae penitùs usque ad os permanare debet, et directione semper duci, quovis sit situ, angulos rectos habente cum nervi cursu,

circa pollicem longitudine scalpello tenui est agenda. Ad divisionem perfectam ramorum omnium certiorem faciendam scalpellum trahere atque retrahere saepius super os propositum est; cujus indicium optimum est dolor quiescens, partesque, quibus distribuuntur, torpentes. Quando autem excisio nervi partis cujusdam spem successus felicissimam praebere videtur, quoties fieri potest, id agere nos oportet: et cùm fors sanationis permanentis ex impediendo nervorum extremorum rejunctionem plurimùm pendet, ad hanc praeveniendam, quovis modo, debemus conari. Quamvis cauterium ob dolorem deformationemque, quos creat, curatione recentiori meritò scalpello cessit; tamen, ut mihi verisimile videtur, non sine commodo nervorum extremis moveri potest, quo proclivitas ad materiem nervosam redintegrandam minor forsan reddetur. Pars forsan extrema fili candentis metalli in foramina per canulam cautè introduci potest.

Ad finem eundem attingendum instituta Dominus Ring[y] experimenta quaedam et notationes haud ineptas nobis protulit. Experimentorum ab exitu horum collegit, nervi fabricam ex ligatura magis dissolutam esse quam ex ejus divisione.

Post narrationem experimentorum quorundam ingeniosorum, sed eventu felici carentium, quibus nervi portiones divisas interpositione mechanica intercipere conatus est, propositionem sequentem reddere pergit, viz. nervi portionem, dimidium pollicis fortasse, excidere, partesque vicinas conjungere pressura propria in partes inter nervi extrema specialiter agente. "As the union," inquit, "of the surfaces, if they could be "made to unite, would take place sooner "than the reproduction of the nerve; the

[y] A View of the Relations of the Nervous System in Health and Disease.

"adjoining structures may thus be made a "septum by which the re-establishment of "the continuity of the nerve would be pre- "vented as long as this interposition might "remain."

Verum etiamsi sanationem plenam ac diuturnam vitii hujus assequi non valemus, remedium certe potens, quamvis fugax, nobis restat; nempe compressio plus minusve constans nervi laborantis. Quamvis facultas haec compressionis, scilicet dolorem levandi, evidentissima est, plurimisque auctoribus,[z] qui de hoc morbo disseruerunt, notata est, mirum est eam vix unquam, quantum scio, pro remedio commendatam fuisse. Observationes unicae de re hac, quas invenire potui, sunt illae Domini Duval.[a] Fascia vel instru-

[z] Haighton, Thouret, Siobald, plurimique alii.

[a] Observation sur quelques Affections Douloureuses de la Face, par J. R. Duval, 1814.

mentum quoddam ad partes varias laborantes aptum, facile concipiatur, quod, ut occasio postulat, geri potest.

Nunc tandem ad finem disputationis hujus perveni: nec mihi superest quin, quibus tentamen hoc imperfectum perlegere placeat, labores meos indulgentia summa intueantur, precer. Multum, quod ad pathologiam, necnon ad sanationem hujusce pariter ac aliorum morborum multorum generis nervosi, adhuc investigandum esse, paginis praecedentibus satis superque patebit. Ut omnis medici officium est medicinae res conditas explorare atque detegere niti, sic mihi erit studium vitae futurae: Romano enim Oratore omnino consentior, "Homines ad deos nulla in re "propiùs accedunt, quam salutem homini-"bus dando."—Cic.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.